

ubi supra; et sic sonat: « Si contra majorem viginti quinque annis sententia prolata, provocationis secutæ tempore præfinito causas non esse repræsentatas, nec appellatione pendente, transactione finitum negotium rector provinciæ animadverterit, res judicatas exequi curabit. » Hæc ibi; juncta Glossa, per « res judicatas » intelligente primam sententiam. Concordat c. *Ad hæc*. 27. h. t. et Clem. 2. et 3. et 6. eod. ubi appellatio censetur deserta, et prior sententia in rem transire judicatam, si appellationem appellans rite non fuerit prosecutus: sicque non est opus alia pronuntiatione super desertione appellationis, hoc ipso, quod appellans ejus prosecutionem non probet, et fatalia sint elapsa.

197. *Si appellans nunquam comparuit coram superiore, tunc judex a quo cognoscit super causa desertæ, vel non desertæ appellationis.* — Resp. II. Quod si vero appellatore veniente, et aliquid allegante, dubium remaneat, an causa appellationis ab eo fuerit deserta, nec ne; tunc est distinguendum inter duos casus. Quia vel appellans nunquam comparuit coram superiore; et tunc indubitanter discussio, atque pronuntiatio super causa desertæ, vel non desertæ appellationis, spectat ad judicem a quo: siquidem judex ad quem non habet cognitionem aliquam, nisi per viam appellationis negotium ad ipsum deferatur; hoc autem in casu posito (puta, si non fuissent petiti apostoli, vel saltem causa ipsa nunquam fuisset delata ad superiorem) non contingeret; ergo. Felinus cit. c. *Ex parte*. 12. n. 9. de *Rescriptis*; Scaccia, ubi supra, n. 149. et 150. et n. 166, post Francum, c. *Romana*. § fin. n. 3. de *Appellat.* in 6; Vestrius in *Praxi*. lib. VIII. cap. ult. n. 9. et alios.

198. *Alias de hoc cognoscit judex ad quem.* — Vel appellans jam comparuit aliquando coram superiore, seu iudice ad quem, et coram ipso introducta fuit causa appellationis: et tunc in dubio, an appellatio fuerit deserta, nec ne (puta, an appellans legitime fuerit impeditus a prosecutione appellationis) debet judex ad quem cognoscere, atque pronuntiare super desertione quia is jam semel fuit aditus: ubi autem semel ceptum est iudicium, ibi debet finiri, l. *Ubi acceptum*. ff. de *Judiciis*; Felinus cit. n. 9. Scaccia, d. quæst. 11. n. 151. et seqq. post Francum, c. *Ex ratione*. n. 67. et 99. h. t. alios.

## § VII.

## DE EFFECTIBUS APPELLATIONUM: AC PRÆSERTIM DE HARUM EFFECTU SUSPENSIVO, ET REVOCATIONE SENTENTIE.

199. *Effectus appellationis legitime interpositæ principaliter est duplex; suspensivus ac devolutivus.* — Quæritur I. Qui sint effectus appellationis? Resp. I. Effectus appellationis legitime interpositæ, principaliter est duplex, nimirum suspensivus, ac devolutivus: quamvis non semper appellatio operetur ambos istos effectus. Ita Abbas ad rubric. h. t. n. 4. et alii passim. Et quidem altera pars, seu quod appellatio non semper operetur ambos hosce effectus, patebit ex dicendis n. 210. et 211. ac seqq. ubi plures referuntur hujusmodi casus. Prior autem pars ostenditur declarando terminos: nam.

200. *Effectus ejus suspensivus in quo consistat?* — « Effectus suspensivus appellationis » consistit in hoc, quod per ipsam suspendatur sententia iudicis a quo, ejusque jurisdictio, quantum ad illam causam, in qua fuit appellatum: adeo, ut ad executionem sententiæ suæ procedere non possit. « Nam appellatione interposita medio tempore nihil novari oportet, » ut dicitur l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Unde.

201. *Operatur tria, et quæ?* — Effectus suspensivus tria operatur. Primo enim suspendit pronuntiatum, sive sententiam iudicis a quo. Secundo suspendit ejus executionem quantum ad illam causam; adeo, ut pendente appellatione judex ille non possit circa eam procedere absque vitio attentati. Tertio suspendit etiam præsumptionem alioquin stantem pro sententia iudicis, c. *Cum ad Sedem*. 15. § fin. de *Restitut. spoliat.* cum similibus.

202. *Suspendit pronuntiatum, etc., non vero extinguit.* — Dicitur notanter, « suspendit pronuntiatum, etc., non vero, extinguit. » Nam appellatore non prosequente appellationem, rata manet prior sententia, et assumit vires suas, c. *Cum sit Romana*. 5. et c. *Personas*. 4. h. t. cum concordantiis. Hoc autem fieri non posset, si sententia iudicis a quo per appellationem interpositam simpliciter extingueretur, et non tantum suspenderetur; prout argumentatur Abbas cit. n. 4. Unde dum l. I. § fin. ff. Ad S. C. *Turpilian.* dicitur: « Provocationis remedio condemnationis extinguitur pronuntiatum: » ly « Extinguitur »

## § VII. DE EFFECTIBUS APPELLATIONUM: AC PRÆSERTIM, ETC.

guitur » exponendum est pro ly, « Suspenditur; » ut explicat Glossa fin. ibi.

203. *Effectus devolutivus appellationis quis?* — « Effectus devolutivus appellationis » consistit in hoc, quod tota causa devolvatur ad judicem superiorem, seu judicem ad quem: ita, ut is non solum de justitia appellationis cognoscere valeat; sed etiam, hac probata, causam principalem examinare, eamque sententialiter definire possit, ac debeat. Textus est in l. *Eos qui*. § 1. C. de *Appellation.* et c. *Dilectis filiis*. 55. h. t. ubi Summarium sic loquitur: « Per appellationem legitime interpositam principale cum accessoriis ad judicem appellationis defertur. » Verum de hoc plura inferius n. 230. et seqq.

204. *Possunt distingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales.* — Resp. II. Etsi duo sint effectus principales appellationis, nempe suspensivus, et devolutivus, ut dictum: nihilominus præter hos possunt distingui plures alii effectus appellationis, minus tamen principales, vel ad unum prædictorum commode reducibiles. Ita Sigism. Scaccia, tract. de *Appellation.* quæst. 2. n. 3. et seqq. enumerans universim septem effectus illius; et n. 83. notans, quod card. Alexand. in rubric. de *Appellation.* a n. 69. usque n. 82. conetur cumulare duodecim effectus appellationis. Et quidem, præter duos jam enumeratos.

205. *Putat, quod possit impetrari judex appellationis per rescriptum.* — Tertius appellationis effectus est, quod ea legitime interposita possit impetrari judex appellationis, seu desuper expediri commissio; puta, per rescriptum apostolicum, ut cap. II. et seqq. et c. *Significaverunt de Exceptionibus*. cum similibus. Alioquin enim, si causa appellationis committatur, seu delegetur non interposita prius appellatione, commissio est invalida, utpote data super eo, quod non est. Scaccia cit. n. 3. asserens, hunc effectum esse notum in Cura, ex vulgata Bellamaræ decis. 28. et 100. ubi ait: « Commissio facta super appellatione nondum interposita, est nulla ipso jure. » Verum effectus iste commode reducitur ad devolutivum, de quo proxime dictum.

206. *Quod pendente appellatione, nihil sit innovandum.* — Quartus appellationis effectus, sed ad effectum ejus suspensivum reducibilis, est; quod pendente appellatione nihil sit innovandum: ut l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita. » Ubi Ulpianus

sic loquitur: « Appellatione interposita, sive recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari oportet, » cum similibus.

207. *Imo nec intra decendium ad appellandum concessum possit aliquid innovari, etiam ante factam appellationem.* — Concordat textus notabilis in c. *Non solum*. 7. h. t. in 6. Ubi non solum innovata post appellationem a diffinitiva, jubentur (exceptis certis casibus) statim revocari per judicem appellationis; sed etiam illa, quæ medio tempore decem dierum intra sententiam et appellationem gesta fuerunt, illis verbis: « Non solum innovata post appellationem a diffinitiva sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis judicem penitus revocari: sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam et appellationem (quæ postmodum infra decendium interponitur ab eadem) contingit innovari, ac si post appellationem eandem innovata fuissent. » Ubi Glossa y. *Innovata fuissent*, hujus posterioris partis rationem assignat, dicens: Quia sicut post appellationem a diffinitiva nihil attentari debet; sic nec pendente jure, quod condemnato competit ad appellandum, scilicet usque ad decem dies. Sicut enim indultum a jure beneficium, non est alicui auferendum, juxta reg. 17. juris in 6. ita nec spes ad illud, puta, facultas appellandi intra decendium, arg. l. *Si ususfructus mihi legatus*. ff. *Ususfructuarius quemadmodum caveat*. Concordant dicta superius tit. præced. § 6. n. 160.

208. *Quod suspendat judicatum. Atque reponat appellantem in pristino statu; et quomodo?* — Quintus appellationis effectus est, ut suspendat judicatum, non tamen extinguat, conformiter dictis paulo superius n. 201. et 202. Sextus ejus effectus est, ut reponat appellantem in pristinum statum; intellige in eum, quo prius fuerat post litem contestatam, non vero in illum, in quo fuerat ante litem contestationem. Scaccia, quæst. 11. de *Appellat.* n. 46. estque jam dictum supra tit. XXV. de *Exceptionibus*. n. 28. et n. 74.

209. *Et quod judex ad quem debeat revocare, aut confirmare sententia iudicis a quo.* — Septimus appellationis effectus est, ut si appellatio sit legitima, talisque appareat in fine, teneatur judex ad quem revocare sententiam iudicis a quo: sin minus, debeat hanc confirmare, simulque calumniose, vel temere



appellantem condemnare alteri parti in expensis. Scaccia, *de Appellation.* quæst. 3. n. 85 et quæst. 2. n. 52. et alii: atque concordant dicenda inferius n. 231. Verum hi etiam appellationis effectus commode reducuntur vel ad suspensivum, vel ad devolutivum ejus effectum; uti facile patebit consideranti.

210. *Quando appellatio a sententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum suspensivum? Appellatio a diffinitiva regulariter habeat effectum suspensivum.* — Quæritur II. Quando appellatio a sententia diffinitiva habeat, vel non habeat effectum suspensivum? Resp. I. Etsi regulariter per appellationem a diffinitiva suspendatur jurisdictio iudicis a quo; ut dicitur c. *Si a iudice.* 10. h. t. in 6. ibi: « Cum per appellationem sit suspensa ipsius jurisdictio, » cum similibus. Simulque appellatione pendente nihil sit innovandum; cit. l. un. ff. « Nihil novari appellatione interposita, » et alibi. Hæc tamen ipsa Regula fallit in pluribus casibus, juxta illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. »

211. *Fallit istud in casibus exceptis, seu in quibus jura prohibent appellari.* — Et primo quidem fallit ipse in casibus exceptis, seu in quibus jura post sententiam prohibent appellari. Textus est in c. *Non solum.* 7. h. t. in 6. ubi dicitur: « Innovata post appellationem et a diffinitiva sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis iudicem penitus revocari. » Ubi limitatio illa, « exceptis casibus, » etc. aperte tradit præsentem fallentiam. Nec immerito: nam appellatio, quæ contra juris prohibitionem interponitur, habetur pro infecta, can. *Imperiali.* 23. q. 2. juxta reg. 64. jur. in 6. cum concordantiis, quod autem nullum est, atque infectum, nullum producit effectum; ut c. *Illud.* 8. de *Jure patronat.* et l. 4. § *Condemnatum.* ff. de *Re judicat.* cum similibus. Qui vero sint illi casus excepti, seu in quibus jure prohibente non licet appellare, dicitur § 10. et 11. per totum.

212. *Ac in appellatione a censuris ecclesiasticis absolute prolatis. Excommunicatus, etiamsi appellet ab excommunicatione absolute prolata, eadem ligatur. Excommunicatio executionem secum trahit.* — Fallit secundo data regula in censuris ecclesiasticis absolute inflicis. Nam si ab istis jam latis appelletur, appellatio non sortitur effectum suspensivum, seu non im-

pedit, neque suspendit valorem censuræ. Patet hoc ex c. *Pastoralis.* 53. h. t. ubi dicitur, quod excommunicatus, etiamsi appellet ab excommunicatione in ipsum absolute prolata, nihilominus eadem ligetur adeo, ut non obstante appellatione possit denuntiari, ut ab aliis evitetur, nec non et proventibus ecclesiasticis spoliari. Siquidem « excommunicatio executionem secum trahit » (prout loquitur textus ibid.) id est, prolata sententia excommunicationis statim aliquis est excommunicatus, nec est opus alia executione, qualis tamen executio requiritur, quando quis condemnatur ad solvendum, vel tradendum alteri rem suam.

213. *Item dicendum de aliis censuris ecclesiasticis absolute prolatis.* — Et quia etiam aliæ censuræ ecclesiasticæ absolute prolatae executionem secum trahunt, idem juris est in illis prout habetur expressum in c. *Is cui.* 20. de *Sentent. excomm.* in 6. ibi: « Sane sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur. » Id ipsum tradit Abbas, c. *Sæpe contingit.* 44. n. 15. h. t.; Scaccia, de *Appellat.* quæst. 17, limitat. 22. n. 3; Pirhing, h. t. n. 237. et communis aliorum. Ratio ulterior est: quia censuræ ecclesiasticæ sunt medicinales, et veniunt principaliter ad corrigendum, c. *Cum medicinalis.* 1. de *Sentent. excomm.* in 6. unde, ne prætextu frivolæ appellationis quandoque impediatur correctio, fuit in eis inducta isthæc specialitas, quod per appellationem subsequentem non suspendantur.

214. *Secus, si appelletur a censura solum comminata, vel lata sub conditione, si ante hujus eventum appelletur.* — Dicitur notanter n. 212. « fallit in censuris Ecclesiasticis absolute inflicis. » Nam secus est dicendum, si censura nondum fuerit lata, sed solum comminata, atque in posterum ferenda: aut si fuisset lata duntaxat sub conditione, v. g. nisi inter certos dies satisfecerit, sciat Sempronius se esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum: siquidem appellatione ante eventum conditionis interposita (et multo magis, si censura nullo modo lata est, sed solum facta ejus comminatio) suspenditur hujusmodi censura, ejusque effectus impeditur, per textum expressum in c. *Præterea.* 40. ubi Abbas, num. 1. et 2. Barbosa, num. 1. et 4. h. t. et communis. Ratio disparitatis inter hunc, et priorem ca-

sum, est: quia ibi excommunicatio, seu alia censura, utpote lata absolute, jam arctat excommunicatum ante interpositam appellationem: secus in altero casu, ubi lata fuit sub conditione, atque ante hujus eventum existit appellatum. Quod si vero post eventum conditionis primum appellaretur, tunc revera conditione impleta jam ligaret censura; ut c. *A nobis.* 21. de *Sentent. excommunicat.* Ac proinde non amplius suspendere per subsequentem appellationem, cit. c. *Pastoralis.* 53. h. t. et notat Glossa fin. d. c. *Præterea.* 40. h. t.

215. *Appellans in una causa si committat grave crimen, potest de eo puniri per iudicem ordinarium a quo.* — Fallit tertio data regula in casu, quo quis appellat a iudice ordinario in una causa, et postea committit grave crimen, aut de crimine antehac commissum coram eo accusatur: nam hujusmodi appellans potest de illo crimine puniri per iudicem illum ordinarium, a quo in alia causa appellavit, non obstante priori appellatione. Textus est in c. *Præterea.* 22. h. t. juncto Summano, et doctoribus ibid. Et merito: tum quia appellatio est quidem species justæ defensionis, non tamen debet delinquentem tueri in sua iniquitate; cum remedium istud sit concessum, ut relevet ab iniquo gravamine, non ut justitiam pervertat; tum quia appellatio non extenditur ad ea, quæ fiunt post appellationem: neque per eam suspenditur jurisdictio iudicis a quo, nisi in ea solum causa, super qua appellatum extitit.

216. *Sicut et appellans in una causa, v. g. civili, potest conveniri coram ordinario iudice a quo in alia causa.* — Atque istud procedit non solum in causis criminalibus, sed etiam in aliis: adeo, ut si appellans in una causa, puta civili; conveniatur coram iudice ordinario a quo super alia re, seu causa, de qua appellatum non est, debeat stare ejus iudicio, nisi voluerit eum recusare ut suspectum; per textum in cit. c. *Ad hæc.* 6. h. t. et c. *Proposuit.* 24. h. t. ubi dicitur, quod appellans « non minus teneatur in aliis, super quibus appellatum non est, respondere. » Accedit ratio, quia appellatio non eximit appellantem a jurisdictione iudicis ordinarii, nisi in eo tantum casu, super quo appellatum fuit, c. *Romana.* § *Cum vero is.* h. t. in 6. Quod intellige, dummodo appellans iudicem, a quo appellavit in una causa, non recusaverit ut suspectum etiam in alia causa,

217. *Nisi hunc recusaverit ut suspectum etiam in alia causa.* — Et notanter hoc ultimum additur: quia appellans in una causa, potest iudicem a quo, si voluerit, recusare ut suspectum etiam in alia causa: juxta textum cit. c. *Ad hæc.* 6. h. t. ibi: « Eum potest, si voluerit, tanquam suspectum vitare » in aliis causis. Adeo, ut Barbosa, ibid. n. 2. cum aliis, inde inferat, ex sola appellationis interpositione in una causa (gravamine etiam non probato) posse iudicem a quo recusari ut suspectum in alia causa. Rationem dat, quia aliquis injuria videtur inferri iudici, a quo appellatur, sicque iste non nihil offendit: et quia multi alii iudices solent provocari alicuiam indignationem contra appellantem, dubitari potest, ne iudex ille, utpote aliquantulum offensus, velit in alia causa se ulcisci contra appellantem; et consequenter debet posse recusari ut suspectus. Id ipsum confirmatur ex textu cit. c. *Ad hæc.* 6. h. t. ponderando ly, « si voluerit: » et consequenter videtur esse in libertate appellantis a iudice in una causa, ipsum in alia causa recusare ut suspectum, si voluerit.

218. *Et quando talis recusatio fieri possit?* — Fatendum tamen est, quod Joan. Andreas, in d. c. *Ad hæc.* n. 1. h. t. et Abbas, ibid. num. 3; Pirhing, eod. num. 221. et Scaccia, quæst. 17; de *Appellat.* limit. 47. memb. 3. n. 4. allegans communem aliorum, prædictam sententiam non admittant indistincte. Unde volunt, quod memorata sententia, et textus cit. c. *Ad hæc.* 6. h. t. tunc demum procedat, quando suppetit alia causa recusandi iudicem a quo, ut suspectum (puta, quia iste aliquod aliud gravamen intulit appellanti, vel huic minatus fuit) ratione cujus proinde appellans velit ipsum recusare, atque recuset ut suspectum: non autem præcise ex eo, quod quis in aliqua alia causa ab ipso appellaverit, etiam nullo cæteroque probato gravamine. Rationem dant, tum quia iudex discretus non provocatur, seu non irritatur ex appellatione, ut inquit Abbas, c. *Ut debitus.* 59. n. 32. h. t. sicque ex hoc solo non præsumitur velle se vindicare; tum quia sententia iudicis, bono animo judicantis, non debet obesse ipsi, can. *Hoc etiam placuit.* 2. q. 6. Obesset autem, si ipse posset libere recusari ut suspectus in alia causa: quia per hoc minueretur jurisdictio ipsius; tum tandem, quia alioquin posset appellans recusare iudicem a quo in alia causa ut suspectum, etiamsi temere, et frustratorie appellasset: